PA 379
.E6
Copy 1

DE USU

AORISTI ET PRAESENTIS CONJUNCTIVI

IN

ENUNCIATIS RELATIVIS CONDICIONALIBUS
ET TEMPORALIBUS

DISPUTATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. MENSIS JANUARII MDCCCLXXIII

PUBLICE DEFENDET

JULIUS ERNST
FULDENSIS.

19573

MARBURGI CATTORUM
MDCCCLXXIII.

PA379
.E6

LEOPOLDO SCHMIDT

PHILOS. DR. PHILOLOGIAE P. P. O. SEMINARII

PHILOLOGICI DIRECTORI

QUO SUASORE USUS EST ET ADJUTORE BENEVOLO

D. D. D.

AUCTOR.

Cum abhinc paucos annos directores seminarii philologici Marburgensis quaestionem praemio ornandam proposuissent, qua postulabatur, ut de usu conjunctivi praesentis et conjunctivi aoristi in enunciatis relativis, condicionalibus et temporalibus apud Isocratem disputaretur, ita ut simul etiam Platonicae consuetudinis, quatenus ea quidem ex Gorgia dialogo cognosci posset, ratio haberetur, illorum librorum accuratiora studia exercui, quorum fructum hoc tempore in medium emissurus sum.

Quibus in enunciatis nemo ignorat, viros doctos Apollonii Dyscoli [1]) auctoritate fretos usum utriusque temporis ita definiisse, ut statuerent, conjunctivum praesentis adhibitum esse ut indicaretur actionem protasis et actionem apodosis in idem tempus incidere, contra conjunctivum aoristi ut appareret actionem secundariae sententiae ad eventum adductam esse cum actio primaria initium caperet. Quam posteriorem legem de usu conjunctivi aoristi exempli gratia praecepit Krügerus, cujus liber in omnium fere manibus versatur, hisce verbis: „In rein und gemischt hypothetischen Sätzen (relativen und temporalen) haben der Conjunctiv und Optativ des Aorists regelmässig die Bedeutung der Vergangenheit, die aber, insofern der Hauptsatz ein zukünftiges bezeichnet, als erst bei dessen Verwirklichung eingetretene Vergangenheit vorgestellt wird, so dass

---

[1]) Hujus grammatici Alexandrini verba haecce sunt: *ἐχρῆν μέντοι γινώσκειν ὡς αἱ γινόμεναι παραθέσεις ἐξ ἐνεστώτων εἰσὶ καὶ παρῳχημένων, τοιοῦτόν τι τῆς συντάξεως ἐπαγγελλομένης ἐν τῷ ἐὰν μάθω, εἰ ἀνύσαιμι τὸ μαθεῖν, ἐὰν δράμω, εἰ ἀνύσαιμι τὸ δραμεῖν. ἔν γε μὴν τῷ ἐὰν τρέχω, ἐὰν ἐν παρατάσει γένωμαι τοῦ τρέχειν* (Apoll. Alex. synt. III, 30 p. 273).

diese Modi auch dem lat. fut. exacto entsprechen (Krüger, griech. Sprachlehre I, § 53, 6. 5). Eandem sententiam quantum quidem attinet ad enunciata condicionalia et temporalia Bäumleinius exposuit, ita ut simul etiam usum conjunctivi praesentis respiceret. Atque cum primum quidem vir doctissimus de enunciatis condicionalibus disseruisset hoc modo: „Praesens und Aorist des Conjunctivs unterscheiden sich aber ganz natürlich so, dass bei dem Praesens die bedingende Handlung mit der bedingten als gleichzeitig, bei dem Aorist die bedingende als der bedingten vorhergehend gedacht wird“ (Bäumlein, Untersuchungen über die griech. Modi p. 219), paulo postea de usu utriusque temporis in enunciatis temporalibus haecce praecepit: „Da übrigens in den meisten Fällen die nothwendige Bedingung zum Eintritt einer andern Handlung als vor dieser vollendet und geschlossen erscheint, so erklärt sich daraus der gewöhnliche Gebrauch des Conj. Aor. Dadurch wird indessen das Praesens keineswegs ausgeschlossen, da auch der Fall eintreten kann, dass die Bedingung gleichzeitig mit dem Bedingten fortdauert“ (id. ib. p. 228). Quod vero idem vir doctissimus, cum in p. 208 sq. de enunciatis relativis disputaret, a priore ratione recessit atque utriusque temporis natura neglecta et aoristi et praesentis conjunctivum pro futuro sumpsit, quam maxime miramur. Qua de notione ipsa cum postea accuratius videndum sit (cf. pp. 7 et 15), hoc loco satis erit paucis attigisse, haud magna veritatis specie sententiam Bäumleinii firmari. Nam minime ei assentiendum erit, quod cum profitetur idem valere conjunctivum praesentis idem conjunctivum aoristi, tum censet usum utriusque temporis alio modo in enunciatis relativis alio modo in enunciatis condicionalibus et temporalibus considerandum esse, cum tria illa sententiarum genera inter se ita conveniant, ut sine negotio alterum alterius partes suscipere possit. Denique idem judicium de discrimine, quod intercedit inter usum conjunctivi praesentis et con-

junctivi aoristi, Kühnerus videtur professus esse, quamquam magno ille quidem in libro quaestionem minime levem adeo leviter tractavit, ut quid sibi voluerit divinandum quasi nobis reliquerit. Nam cum quae universe de discrimine praesentis conjunctivi et aoristi conjunctivi protulit [1]) adeo sint inania, ut ipsum quid proficiant fugerit, postea in pertractandis enunciatis condicionalibus (cf. Kühner, ausführliche griech. Grammatik II, p. 977) altissimo silentio de doctrina supra exposita usus Krügeri Bäumleiniique sententiae fidem videtur habuisse, quae res inde colligenda erit, quod cum enunciatum quod est *ἐάν τι ἔχῃς* germanice interpretatus esset his verbis „wenn du etwas hast, oder genauer, wenn du etwas haben wirst, haben solltest", conjunctivi aoristi exemplum *ἐὰν τοῦτο λέξῃς* hoc modo intellegendum proposuit: „wenn du dieses gesagt haben solltest; ich habe Grund anzunehmen, dass du es gesagt haben wirst". Eadem ratione vir doctissimus discrimen utriusque temporis in relativis quoque et temporalibus enunciatis spectasse videtur, quae res, quamquam ne literam quidem ullam de ea fecit, conjectura quasi nobis assequenda est, quod illis sententiis ex condicionalibus lucem repetere quam maxime studuit (cf. id. ib. pp. 929 et 951).

Quae praecepta sequentes conjunctivum praesentis nostro praesenti reddere solemus, conjunctivum aoristi autem, si actus verbi quod in primaria sententia praedicati locum tenet praesenti tempore versatur, perfecto, contra futuro exacto, si ille ad futurum pertinet. Sed occurrunt haud raro conjunctivi aoristi, qui illa ratione adhibita non possunt ita explicari, ut sententia loci nobis arrideat. Consideremus exempli gratia enunciatum, quod ex Isocratis Panathenaici § 37 repetii, ubi orator, postquam permagnas difficultates

---

[1]) Bei *φύγωμεν* wird die Handlung des Fliehens allein ins Auge gefasst; bei *φεύγωμεν* hingegen wird auf die Ausführung und den Verlauf des Fliehens zugleich Rücksicht genommen (cf. II p. 156).

exposuit, quæ sibi cum senex esset orationem illam compositurо obstarent, ita pergit: *ἀλλ' ὅμως οὐδὲν μᾶλλον ἀποστατέον αὐτῶν ἀλλ' ἐπιτελεστέον, ἤνπερ ἔτι ζῆν δυνηθῶμεν.* Quem aoristum secundum leges communes germanice redditum nihil valere, contra præsenti nostro versum aliqua ex parte sese commendare, quis est quem fugiat?

Cujusmodi difficultates viri docti plerumque ita removere studebant, ut verbo vim inchoativam subderent, quo artificio eo pervenisse sibi videbantur illi quidem, ut usum, qui contra leges communes pugnaret, ipsis his legibus explicarent ac defenderent. Quæ ratio cum a Curtio commendata [1]) et a Rieckhero (Einladungsschrift zur Feier des Geburtsfestes etc., Heilbronn 1852) observata esset, ut eandem offensionem, qua usus conjunctivi aoristi laborat, in usu participii aoristi tolleret, a Pfuhlio missa est, cum in commentatione de natura aoristi (Programm des Vitzthumschen Gymnasiums, Dresden 1867) quæstionem tractaret quæ est „Aoristformen als Futurum exactum?" Qui quidem cum statuisset, aoristum in duos quasi ramos exire, quorum alter, *ἔλαβον*, in præteritum alter, *βούλομαι λαβεῖν*, in futurum tempus conversus esset (cf. p. 28), conjunctivum aoristi de quo agitur posterioris rami partem esse affirmavit hisce verbis: Da wir nach alledem im Aoristus hier kein Präteritum haben, so bleibt uns von demselben nur die dem Futurum zugewandte Bedeutung übrig. Diese aber ist, so sehr sich auch die uns geläufige latinisirende Anschauung dagegen sträubt, vom griechischen Standpunct aus ein richtiges einfaches Futurum (p. 30). Quod judicium, de quo profecto verba haud facienda erunt, cum mirabilius sit quam cui fides habeatur, illud sine dubio

---

[1]) Viele Verba, deren Praesensstamm einen Zustand bezeichnet, drücken in sämmtlichen Aoristformen das Eintreten in diesen Zustand aus, als: *ἄρχειν* herrschen — *ἄρξαι* zur Herrschaft gelangen etc. (griech. Schulgrammatik § 498).

profecit, quod cum illorum, qui vim inchoativam sumunt, inania explicandi studia minimeque probanda repudiavit, tum vulgaris doctrinæ, cui mea quidem sententia *πρῶτον ψεῦδος* quod vocatur subest, auctoritati fidem abrogavit. Quæ cum ita videantur, quærendum est, utrum justum quid an injustum viri doctissimi egerint, cum conjunctivum aoristi in enunciatis relativis, condicionalibus et temporalibus actionem antecedentem significare præceperint.

Quamquam equidem haud negaverim, permulta exstare conjunctivi aoristi exempla, quæ secundum Krügeri et Bäumleinii sententiam considerata sese commendare videntur, — quo retulerim hujusmodi locos: *νέος ἂν πονήσῃς, γῆρας ἕξεις εὐθαλές* (Men. monost. 388). *πάντες ἄνθρωποι τούτων πλείστην μνείαν ἔχουσιν, ὑφ᾽ ὧν ἂν ἐν ταῖς συμφοραῖς εὖ πάθωσιν* (Isocr. V, 37). *μηδένα φίλον ποιοῦ, πρὶν ἂν ἐξετάσῃς, πῶς κέχρηται τοῖς πρότερον φίλοις* (id. I, 24) — tamen num viri doctissimi justa præcepta exhibuerint dubitationes mihi motæ sunt, quibus tanto major vis inesse videtur, quanto melius mea quidem sententia ipsa illa exempla, quæ propugnacula quasi murique illius rationis sunt, alio modo de quo postea videbimus explicari possunt.

Atque primum quidem de significatione actus tempore præcedentis, quam conjunctivo aoristi inesse viri doctissimi statuerunt, hæc res unicuique dubitationes movebit, quod ea quidem quam maxime ab illa notione abhorret, quam idem conjunctivus aoristi secundum eorundem doctorum sententias in interrogationibus quæ dubitationem sapiunt, in adhortationibus, in enunciatis finalibus exhibet. Atque mirifica profecto esset forma nec analogiis fulcienda, cui diversæ notiones subesse possent, prout diversis in enunciatis occurreret. Qua in re jam Akenius hæsit, ita ut hæcce moneret: „Der Conj. Aor. steht unbedenklich von der Gegenwart in Aufforderungen, zweifelnden Fragen, Finalsätzen, auch bei *οὐ μή* und bei Hom c. *ἄν* pro Fut. Wenn nun

der Conj. c. ἄν im Bedingungssatze sich auch als Fut. ex. übersetzen lässt, so kann das allein nicht die Bedeutung der Vergangenheit erweisen, zumal dieselbe Modalform in einer nur abgezweigten Anwendung, im allgem. relat. Satze, kein futur. ex. ist, es überhaupt sehr fraglich ist, ob das Griech. hier dieselbe temporale Genauigkeit wie das Latein erstrebt habe.“ (Aken, Lehre von Tempus und Modus im Griechischen, p. 8, §. 10.)

Cujus dubitationis vis admodum augetur, si respicimus, permulta inveniri in enunciatis de quibus agitur conjunctivi aoristi ejusmodi exempla, quæ magis videantur quam quæ sint explicata vulgari doctrina. Quod monendum videtur exempli gratia de his dictionibus: „θαυμάζω, ὅταν ἴδω“ „τοῦτο ποιήσεις, ἢν βουληθῇς,“ similibus. Quibus in explicandis viri docti, cum recurrerent ad ingenii Græcorum acumen, quo disjunxissent cum inter impulsionem quæ extrinsecus oculis offerretur et inter motum animi qui inde sequeretur, tum inter voluntatem quæ priore tempore ingrederetur et inter ejus perfectionem quæ in posterius tempus incideret, ad unum omnes statuerunt, actionem videndi et actionem volendi propterea aoristo expressas esse, quod re vera alteri actioni antecederent. Quam explicationem, qua multum profecisse sibi videntur illi quidem, captionum plenam esse satis apparet, ne dicam, quod eodem jure potuerim, cum subtilissima sit magisque ex sophisticis quasi studiis quam ex natura orta, ridiculam esse et absurdam. Sed ut concedamus illis opiniones: quæ videtur causa fuisse, cur Græci actum videndi et actum volendi modo in prius tempus transferrent modo — si præsentis conjunctivum adhiberent — eodem tempore quo actum apodosis collocarent, porro quid erat discrimen, quod inter utramque rationem intercedere volebant? Cum admodum dubitandum sit, num talia quaerentibus nobis illi, qui vulgarem doctrinam servare student, aliud quid re-

spondere possint nisi fere, Graecos sine discrimine quodam sed variandi quasi studio modo hanc modo illam describendi rationem adhibuisse, satis apparet, eos qui maximas argutias in explicando consumpserunt tantum abesse, ut aliquid expediant, ut rem prorsus in dubio relinquant.

Accedit, quod conjunctivus aoristi occurrit, ubi ex adverso contra doctrinam vulgarem pugnat, cum tantum absit, ut prioris actionis significatione posita ille quidem explicetur, ut congruentia temporalis primarii et secundarii actus sine dubio concedenda sit. Quam ad rem, quæ supra paucis jam adumbrata est, magis illustrandam hic locus non parvi momenti erit: *προσφέρει ἃ προσφέρει πρὸς τὸ ἔργον τὸ αὐτοῦ, ὅπως ἂν εἶδός τι αὐτῷ σχῇ τοῦτο ὃ ἐργάζεται* (Plat. Gorg. 503e), quo Platoni haud erat in animo indicare quod nos dicimus „je nachdem diess eine Gestalt gehabt hat,“ sed potius „je nachdem diess eine Gestalt hat.“

Jam vero auctoritas vulgaris doctrinæ rebus quas attuli admodum debilitata eo prorsus infringitur atque improbatur, quod ipsa natura conjunctivi aoristi minime fulciri potest. Nam cum nemo sit qui dubitaverit, quin actio aoristica talis sit, quæ per brevissimum tempus decurrat, ita ut simul incipiat simulque perfecta reddatur, neque minus quin augmento indicativi illa quidem in præteritum tempus transferatur, in reliquis autem modis ulla vi temporali careat, satis satisque constat, conjunctivo aoristi inhærere puram atque sinceram actionis aoristicæ significationem. Quam cum ex conjunctivi natura, quæ optime a Krügero germanicis verbis quæ sunt „geheischte Wirklichkeit“ descripta est, adhortatio quædam accedat, ut actionis illius eventum speremus, — qua notione decepti Pfuhlius et Bäumleinius ad mirabile illud quod supra paucis attigi judicium pervenisse videntur — conjunctivus aoristi actum momentaneum significat, cujus eventus aliquo tempore non-

dum definito exspectandus est. Quam sententiam neglecta sane modi notione jam Madvigius professus est, cum hæcce literis mandaret: „der Aorist im Conjunctiv kommt, da er durchaus nicht die Vergangenheit ausdrückt, seiner Bedeutung nach dem Praesens sehr nahe, und der Unterschied ist nur der, dass der Aorist die Handlung bezeichnet als einzeln und vorübergehend [1]), während das Praesens mehr im Allgemeinen die Handlung und den Zustand entweder als dauernd oder doch nicht als einzeln hervortretend und der Zeit nach getrennt bezeichnet" (Madvig, Syntax der griech. Sprache § 128 a). Neque minus Curtius ab eadem parte est, quamquam non prorsus sibi constitit. Nam cum conjunctivi aoristi notionem rectissime his verbis descripsisset: „der Conjunctiv etc. des Aorists unterscheiden sich also von den entsprechenden Formen des Praesens ebenso wie der Indicativ des Aorists vom Imperfect; die aoristischen Formen bezeichnen mehr eine einzelne, als Punct aufgefasste Thatsache, die praesentischen einen Zustand, oft einen länger anhaltenden" (Curtius, griech. Schulgrammatik § 495 Anm.), paulo postea, cum de enunciatis condicionalibus ageret, haecce monuit: „der Conjunctiv des Aorists kommt in solchen Bedingungssätzen dem lateinischen Futurum exactum oft sehr nahe: *νέος ἂν πονήσῃς, γῆρας ἕξεις εὐθαλές* si juvenis laboraveris, senectutem habebis jucundam" (id. ib. § 545 Anm. 1). Quod modo exposui judicium de notione conjunctivi aoristi usu optimorum Graecae linquae scriptorum fulciendum videtur. Atque primum quidem significatio actus momentanei sine negotio multis locis firmari potest, quod a Graecis ipsis

---

[1]) Quae sequuntur verba „oder als eintreffend an einem bestimmten besonderen Zeitpunkt, der von der eben gegenwärtigen Zeit verschieden ist" resecui, cum de veritate eorum ipse Madvigius dubitaverit, id quod ex sententia paulo postea exposita „und dass umgekehrt der Aorist von der Gegenwart steht, um das Vorübergehende und Einzelne zu bezeichnen" colligendum erit.

haud raro verbis quae apposuerunt magis adumbrata est. Quae res in his exemplis perspicitur: ἂν παραυτίκα κρύψῃς (Isocr. I. 17). πρὶν ἂν μικρὰ προείπω (id. XII. 152). ἅπερ ἂν ἅπαξ κατάσχωσιν (id. XII. 242). ἐὰν ἅπαξ ἀπαναισχυντήσωσί τινες (Dem. 54, 33). ἐὰν ἐμοῦ διὰ βραχέων ἀκούσητε (Aeschin. III. 60). ἢν ἅπαξ ἁλῷ (Aristoph. vesp. 898). ἢν ἅπαξ ἐς χεῖρας ἔλθῃ τὰς ἐμάς (id. pac. 317). ἢν δ' οἰκίσητε τοῦτο καὶ φράξηθ' ἅπαξ (id. av. 183). ἢν ἅπαξ γε τὠφθαλμὼ 'κκοπῇς; (id. ib. 342). ἢν ἅπαξ λυθῶ (id. thesmoph. 1207). ἢν ἓν ἐξείπῃς ἔτι (Soph. Oed. tyr. 748). ἂν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται (Plat. Gorg. 484 c). Non minus apparebit, prorsus abhorrere a conjunctivo aoristi temporis cujusdam significationem. Quamquam sane concedendum est, ubicunque illa forma in usum vocata sit actum quem significat secundum temporalem rationem paulo certioribus finibus contineri, ita ut in praeteritum tempus transferatur si praeteritate res depinguntur contra praesenti vel futuro tempore ad eventum adducatur si sententia primaria in hoc vel illo tempore versatur, tamen ex ipsa hac re quod cum in praeterito tum in praesenti tum in futuro tempore versari potest necessitate quadam colligendum erit, illam per sese ipsam temporali notione prorsus vacare. Quam modo exposui rationem loci qui sequuntur probaverint: ἐξήμαρτον ἐλπίζοντες, ἢν μιμήσωνται τὰς Σπαρτιατῶν πράξεις, μᾶλλον αὐτὰς (scil. τὰς πόλεις) δυνήσεσθαι κατασχεῖν sie begingen einen Fehler, indem sie hofften, sie würden die Städte unterwürfiger machen können, wenn sie einmal die Spartanischen Sitten nachahmten (Isocr. XII, 100). χαίρομεν, ὅταν ἀκούσωμεν αὐτοὺς τοιοῦτόν τι διαπεπραγμένους wir freuen uns, wenn wir (jetzt oder in Zukunft) einmal hören (id. VIII, 45). ἂν λάβωμεν Ἀμφίπολιν, ἀναγκασθησόμεθα κτλ. wenn wir (in Zukunft) einmal Amphipolis nehmen, werden wir gezwungen werden (id. V, 6). Conjunctivum autem aoristi

temporali notione prorsus carere dilucidius etiam ex his locis perspicitur, in quibus ejus actio adjectis adverbiis ad varia tempora traducta est: *ἐάν με λάβῃς νῦν μέν σοι ὁμολογήσαντα, ἐν δὲ τῷ ὑστέρῳ χρόνῳ μὴ ταῦτα πράττοντα* (Plat. Gorg. 488a). *κἂν μὴ νῦν ὁμολογήσητε* (id. Phæd. 115b). *οὐδ' ἐὰν πολλὰ ὁμολογήσητε ἐν τῷ παρόντι* (id. ib. 115c). *καὶ τοιοῦτό γε ἂν ἐναργῶς ἡμῖν φανῇ νῦν* (id. Phileb. 20b). *ἄλλως τε κἂν φανῶ μηδὲ νῦν πω πεπαυμένος παραληρῶν* (Isocr. XII, 23). *ἂν ἐγὼ μὲν μὴ νῦν εὖ εἴπω* (Lys. XIX, 1). *ἐὰν νῦν ἀφῆτε αὐτόν* (Din. II, 3). *ἢν μὴ σὺ πρότερον αὐτῶν ἐπιμεληθῇς* (Isocr. V, 38). *ἢν δ' ἡμεῖς αὐτὰς* (scil. *τὰς πόλεις*) *πρότεροι καταλάβωμεν* (id. IV, 163). *ἂν μὴ τοῦτο πρῶτον μετὰ πολλῆς προνοίας λογίσησθε* (id. ep. VI, 9). *ἢν σὺ μὴ ληφθῇς πάρος* (Eur. Bacch. 960). *ἢν μὴ θάνω 'γὼ πρόσθεν* (Soph. Oed. Col. 1040). *πρὶν ἂν μάθω πρῶτον τόδ'* (id. Philoct. 332). *ὅσων ἂν ὕστερον ἐρασθῶσιν* (Plat. Phædr. 231c). Licet vero actus conjunctivi aoristi unoquoque in enunciato alicui tempori assignatus sit, tamen incertum illud quod aliqua ex parte significatione rei momentaneæ adducitur semper remanere videtur, quam ad notionem vernacula lingua aliquo modo accesserimus, si ratione maxime felici quam Schmidtius noster libentissime mecum communicavit respecta adverbium „einmal" voci qua aoristum reddituri sumus adjungimus. Qui vertendi usus magis etiam sese commendaverit, quod nos quidem forma verbi caremus quæ ad Græci aoristi sententiam accedat, neque minus quod ipsi Græci haud raro eandem viam ingressi adverbium *ποτέ* usurparunt ut dilucidiorem aoristi notionem redderent. Quæ ratio ex his locis intellegi potest: *ἤν σ' ἕλω ποτέ* (Soph. Oed. Col. 814). *κἂν νόστος ὑμῖν εὑρεθῇ ποτ' ἐκ θεῶν* (Eur. Heracl. 587). *ἕως ἂν εὑρεθῇ ποτέ* (Arisoph. Acharn. 235). *ἔαν δέ ποτέ σοι συμπέσῃ καιρός* (Isocr. I, 32). Quibus hucusque disputatis

illud etiam adjungendum videtur, quod usus conjunctivi aoristi minime immutatur sive res quæ describendæ sunt semel ad eventum adducuntur sive saepius ingrediuntur, id quod loci qui sequuntur probaverint: *ἢν ὀφθῶσι δὶς ἢ τρὶς ἐπὶ τῶν δικαστηρίων* (Isocr. XV, 49). *κἄν που δὶς εἴπω ταὐτόν* (Arist. ran. 1178). *ἢν ἑπτάκις σὺ ψηφίσῃ* (id. Lysistr. 698). *ὁπότεροι γὰρ ἂν πλεονάκις συλλεγῶσιν* (Isocr. VIII, 59). *ἢν μὴ τῷ ποιεῖν ἡμᾶς εὖ καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν προσαγάγωνται* (id. X, 56). *δεῖ ποιεῖν ὑμᾶς, ἅττ' ἂν ἐγὼ συμβουλεύσω* (id. III, 47). *πράττουσιν, ὅ τι ἂν οἱ τοιοῦτοι παραινέσωσι* (id. XV, 248).

Quo modo cum vim et naturam conjunctivi aoristi satis circumscripsisse mihi videar, subtilitatum quarundam ratio habenda erit ad quas exprimendas ille quidem adhibebatur. Graeci enim aoristum non solum in usum vocabant ut actus secundum rei veritatem momentaneos depingerent, sed etiam ut illos perscriberent qui licet essent alicujus temporis ut momentanei videbantur pronunciandi (cf. p. 16 sq. ubi de notione actionis infectae simili modo translata egi). Quod judicium satis sane mirabile neminem offenderit, qui illa exempla attenderit, in quibus conjunctivo aoristi alicujus verbi quod per sese quidem plenam perfectamque sententiam haud continet ad supplendam ejus notionem participium praesentis adjunctum est; dico talia exempla: *οἳ ἂν αὐτοῖς τύχωσι τότε παρόντες* (Plat. Gorg. 518 d). *ὅταν τύχῃ τις μὴ ἐν νηνεμίᾳ, ἀλλ' ἐν μεγάλῳ τινὶ πνεύματι ἀποθνήσκων* (id. Phaed. 77e). *ἢν νύμφαι τύχωσιν οὖσαι,* (Xen. conviv. II, 3). *οὐδ' ἂν τῶν ἐννέα ἀρχόντων τις ὢν τύχῃ* (Dem. 18, 112). *ξύνεσιν ἢν ἔχων τύχῃ* (Eur. Iph. Aul. 375). Quo aoristi usu, cum propria et originaria ejus temporis natura posita omnes res quam maxime inter se repugnaturae essent, vim actionis verbi quae per sese haud in temporis punctum incidit repressam quasi atque imminutam esse nemo non intellexerit. Cujus rationis causa primum

quidem minor rei describendae gravitas erat, qua fiebat ut illa quidem scriptori eminus quasi prospicienti in punctum contracta videretur. Quocum usu noster sermo aliqua ex parte convenit hoc fere modo: „wenn du diess einmal thust“ — ἐὰν τοῦτο ποιήσῃς. Deinde eadem dicendi levitas atque elegantia haud raro in usum vocataest in adhortationibus, ut limata atque mitigata forma continentia quadam et modestia praecipiendi cognosceretur, quam rem vernacula lingua simili modo assequi videmur talia fere dicentes: „thue mir diess einmal“ — τοῦτο ποιήσῃς. Denique actio aoristica maxime idonea erat, quae in quaestionibus illam rem leviter tantum attingeret cujus veritas dubia et incerta erat, quem ad finem nos quidem hoc fere modo pervenimus: „sollte ich wohl einmal können?“ δυνηθῶ;

Respectis iis quae de vi et usu conjunctivi aoristi exposui nemo profecto est qui non quaesiverit, quid gentium viros de arte grammatica optime meritos ut doctrinam illam ponerent excitaverit. Cujus rei causa ea videtur fuisse, quod illi quidem non in percipienda sed in adhibenda actione aoristi quam maxine errarunt cum statuerent, actionem ejus cum quam brevissima esset nobis quidem secundum tardiorem naturam necessitate quadam semper videri absolutam, ita ut unicuique rei quacum conjungeretur antecederet. Quod judicium mihi quidem haud probandum videtur. Quamquam sane concesserim, nos ad acriter discriminandum natura non esse redditos ita pronos ut Graecis contigerat, attamen admodum dubitaverim num prorsus a nobis ingenii illud acumen abjudicandum sit, cum in nostra quoque lingua notiones occurrant, quas licet in brevissimum tempus incidant ipso hoc momento quo decurrunt percipere solemus. Dicimus enim cxempli gratia „es blitzt“ pro quo, si recte se haberet virorum doctorum judicium, nobis dicendum esset „es hat geblitzt“. Qua in levi quae videtur re licet nimium me esse quis judicaverit, cum quantum quidem ad sententiam attineat nullius fere

momenti sit, utrum enunciatum quod est *τότε χρὴ παύεσθαι λέγοντας, ὅταν τὰ πράγματα λάβῃ τέλος* (Isocr IV, 5) ita intellegatur „in dem Moment, in welchem sie einmal ihr Ende erreichen“ an ita „dann wann sie ihr Ende erreicht haben“, attamen nemo argutiarum opprobria in me contulerit qui subtiliores illas sententias quibus exprimendis aoristus inservire potest respexerit. Cujusmodi aoristos, si eodem modo considerantur quo actus re vera momentanei itaque ab actione perfecta non multum alieni impune quidem percipi possunt, prorsus obscuros minimeque intellegendos esse quis est quem fugiat? Quas in angustias ne incidamus id agendum erit, ut actionem conjunctivi aoristi secundum Graecorum consuetudinem semper cum decurrat consideremus, ita ut ad similitudinem quandam actionis infectae accedat.

Hoc vitio quod modo detexisse mihi videor commisso viri doctissimi illam rationem quae vocatur „relative Zeitgebung“ [1]) ad analogiam Latini sermonis in linquam Graecam intulerant. Quae cum in Romanorum linqua probata acceptaque esset, ita ut in connectendis sententiis secundariis et primariis scriptores deliberare solerent utrum actio secundaria actioni primariae antecederet an aequalis esset, a Graeci sermonis indole prorsus abhorrebat, ita ut summa ejus proprietas hac potius in re versaretur quod sententias primarias et secundarias sibi magis adjungebat quam subjungebat. Quae res, ut primum quidem enunciata subjuncta in quibus indicativus exstat considerentur, exempli gratia ex hujusmodi sententia intellegitur: „*ἐπειδὴ τοῦτο ἐγένετο, ἐκεῖνο ἐγένετο*“. Quibus verbis, cum prius illud *ἐγένετο* idem valeat ac posterius conjunctio autem *ἐπειδή* significet alteram rem alteram insequi, nihil aliud exprimi ap-

---

[1]) Hæc de re accuratius egerunt: Dr. Em. Hoffmann „die Construction der lat. Zeitparticeln“ Zeitschrift für österr. Gymn. XI, 569 et 653, Vielhaber ib. XII, 211—221, Lübbert, gramm. Studien II, pp. 19 et 149.

paret nisi: „diess geschah und darauf geschah jenes.“ Eadem ratio perspicitur ex his sententiis secundariis, in quibus conjunctivus aoristi exstat: „*ἐπειδὰν τοῦτο γένηται, ἐκεῖνο γενήσεται*“ — „*πρὶν ἂν τοῦτο γένηται, ἐκεῖνο οὐ γενήσεται,*“ quae ita intellegendae et explicandae videntur: „wenn diess einmal geschieht (und wir wollen sehen, ob es geschieht), so wird darauf jenes geschehen“ — „bevor dies einmal geschieht (und wir wollen es abwarten), wird jenes nicht geschehen“. Quibus ex rebus apparet, de temporali subjunctione actus secundarii quae in Latino sermone usitata est in Graeca linqua minime cogitandum esse, sed prorsus dissolute duas periodi partes juxta se versari eodem fere modo quo nos haud raro in vernacula linqua Romanorum curam ac diligentiam negligimus.

Quae cum ita sint, doctrina vulgaris de usu conjunctivi aoristi in enunciatis relativis, condicionalibus et temporalibus rejicienda videtur. Jam vero quaerendum est num vim et notionem praesentis conjunctivi viri docti recte definierint, cum eum ita adhibitum esse statuerent ut indicaretur actionem protasis et actionem apodosis in idem tempus incidere.

Quamquam sane exempla exstant quibus ratio communis probata videtur, — quo retulerim hujusmodi locos: *ἡμεῖς δ' ἂν σωφρονῶμεν, ἐξ ἀρχῆς φυλαξόμεθα κτλ.* (Isocr. IV, 165), *ἢν δὴ τοιοῦτον ἐπιχειρῶσί τι ποιεῖν, προσήκει τοὺς εὖ φρονοῦντας ληρεῖν νομίζειν αὐτούς* (id. XII, 112) — attamen dubitationes de ejus veritate moventur, praesertim cum ipsi illi loci non minus quam qui videntur pro priore regula pugnare alio modo de quo postea videbimus rectius intellegantur.

Quae dubitationes de fide communis doctrinae haud recedunt ab illis quas supra attuli cum rationem, qua aoristi conjunctivi usum viri doctissimi considerandum esse statuerunt, impugnarem. Nam primum quidem, de qua re supra jam

disputatum est, Krügeri Bäumleiniique ratio haud parva exemplorum parte quae ad eam fulciendam afferuntur probata est in speciem, cum nemo intellegat quid sibi velit illud discrimen quod exempli gratia inter usum qui est *θαυμάζω, ὅταν ὁρῶ* et *θαυμάζω, ὅταν ἴδω* viri doctissimi statuerunt.

Praeterea haud raro in enunciatis de quibus agitur conjunctivus praesentis occurrit, cujus in loco si quidem accurate vulgaris doctrina observatur conjunctivus aoristi exspectandus esset, quoniam sine dubio actio secundaria in prius tempus incidit quam actio primaria. Quod judicandum videtur exempli gratia de hoc loco: *οὐδ' εἰς ἐξετάσεις ἰέναι τολμῶμεν, ἢν μὴ λαμβάνωμεν ἀργύριον* (Isocr. VII, 82), cum nemo negaverit, accipiendi actum secundum temporis| rationem eventui quem adduxit antecedere. Idem cadit in hanc sententiam: *ἢν γὰρ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα διεξίητε πρὸς ὑμᾶς αὐτούς, εὑρήσετε κτλ.* (id. VIII, 119), quam sine dubio Romani ita reddiderint: „si examinaveritis, invenietis". Neque minus conjunctivum aoristi desiderarem, si omnino vulgari doctrina fide[illegible] haberem, in hoc loco: *ὁρᾷς, ὦ Σώκρατες, ὡς ἐγὼ ἕτοιμος εἰμι ἐπαινεῖν, ἄν τι καλῶς λέγῃς*; (Plat. Gorg. 510 b). Quam dilucidissime vero prioris actus significatio in hoc enunciato expressa est: *μήπω γε* (scil. *στεῖχε*), *πρὶν ἂν τῶν ἡμετέρων ἀίῃς μύθων*, (Soph. Philoct. 1409).

Denique accedit, quod sententia, quam viri doctissimi de usu conjunctivi praesentis professi sunt, non magis quam praeceptum illud de usu conjunctivi aoristi exhibitum natura ipsius formae de qua agitur ex omni parte fulciri potest. Ista enim actionem infectam quae unoquoque tempore ingredi potest ita significat, ut ejus eventus exspectetur. Idem fere judicium neglecta sane modi notione Curtius protulit hisce verbis: „der Conjunctiv etc. des Praesens bezeichnen die dauernde Handlung schlechthin, mag die-

selbe nun in der Gegenwart, Vergangenheit oder Zukunft liegen“ (Curtius griech. Schulgrammatik § 491). Quam posteriorem rationem, quamquam ipso systemate Graeci verbi atque iis quae de conjunctivo aoristi exposui satis probatum sit, non abs re erit paucis allatis exemplis firmare: *ἢν δὴ τοιοῦτον ἐπιχειρῶσί τι ποεῖν, προσήκει κτλ.* wenn sie (jetzt oder in Zukunft) etwas derartiges unternehmen (Isocr. XII, 112); *τοῦτ' εὐδοκιμεῖ παρ' αὐταῖς* (scil. *ταῖς ὀλιγαρχίαις καὶ δημοκρατίαις*), *ἢν μηδὲν ἕτερος ἑτέρου δύνηται πλέον ἔχειν* wenn (jetzt und in Zukunft) keiner mehr Macht hat als der andere (id. III, 15). *τότε παρεκελευόμην τοῖς ἀκουσομένοις καταγελᾶν μου καὶ καταφρονεῖν, ἢν μὴ καὶ τῶν πραγμάτων καὶ τῆς δόξης τῆς ἐμαυτοῦ .... ἀξίως φαίνωμαι διεξιών* wenn ich den Gegenstand nicht in würdiger Weise zu behandeln schiene (id. V, 84). *φίλον τε γὰρ ἡγοῦνται τὸν ὑπουργοῦντα, ἢν καὶ πρότερον ἐχθρὸς ᾖ* wenn er auch früher ein Feind war (Thuc. I, 41). *ἡμεῖς γὰρ ἢν μὲν οὕτως οἰκῶμεν τὴν πόλιν ὥσπερ νῦν, οὐκ ἔστιν ὅπως κτλ.* wenn wir (in Zukunft) den Staat so verwalten wie jetzt (Isocr. VII, 78). *ἂν γὰρ ἐμμένῃς τῇ φιλοσοφίᾳ καὶ τοσοῦτον ἐπιδιδῷς, ὅσον περ νῦν, ταχέως γενήσει τοιοῦτος, οἷόν σε προσήκει* wenn du (in Zukunft) der Philosophie treu bleibst und solche Fortschritte machst, wie jetzt etc. (id. IX. 81). Paulo vero accuratius altera notio, quam Curtius germanicis verbis quae sunt „dauernde Handlung“ descripsit, respicienda atque adumbranda erit, cum quam latissime pateat. Nam cum primum quidem conjunctivus praesentis illas res significet quae perpetuae sunt, ita ut secundum rei veritatem actio ejus infecta sit, non minus unumquemque actum qui per aliquantum temporis permanet sive semel sive saepius ad eventum adducitur depingere potest, siquidem ille ut durans pronunciandus videtur. A quibus rationibus quae ex vera actionis permansione profluxerunt alia prorsus recedit, ex qua conjunctivum praesentis ad

tales quoque res depingendas usurpatum videmus, quae licet brevissimi temporis sint propter ipsarum vim et gravitatem scriptori magnae quasi ac perpetuae videntur esse. Denique haud raro vis actionis infectae prorsus neglecta videtur, ita ut ἢν βούλῃ, ἢν δύνῃ, ἢν θέλῃς similia occurrant, cum tantum absit, ut permansio actionis sive dicendi gravitas statui possit, ut nihil nisi levis res descripta videatur. Quas diversas rationes germanice reddituri, cum in postrema sententiae Graecae dictonis satis fecerimus simplici praesenti adhibito, in prioribus hac via non eodem pervenerimus, ita ut adverbia „stets, beständig, wirklich“ vel tale quid ad nostrorum verborum vim augendam atque supplendam in usum vocanda videantur.

Jam vero cum tot tantaeque causae contra doctrinam communem pugnent atque ne ipsa quidem notio conjunctivi praesentis in ejus partes vocari possit, quaerendum est quibus rebus ea commendetur. Quae haud magni sunt aestimandae: nam posita est illa lex ad analogiam Latini sermonis atque probata videtur judicio ex natura conjunctivi praesentis derivato, quod aliqua tantum ex parte recte se habet. Cum enim a Romanis actio infecta in enunciatis subjunctis ita immutata esset ut in significationem aequalis temporis abiret, viri docti eandem rationem a Graecis quoque observatam esse putabant, quae sententia satis probata iis videbatur, quod actio infecta, cum per omnia tempora permaneret, unicuique rei necessitate quadam aequalis esset. Cujus rationis fraudes ex prima statim fronte intelleguntur. Nam non cum solum illi actus, qui per omnia tempora permanent conjunctivo praesentis describantur, sed etiam ii qui in breve temporis spatium incidunt haud raro eodem modo depicti sint, qua de re modo egi, fieri non potest quin persaepe sententiae primariae et sententiae secundariae secundum temporalem rationem minime secum congruant, ita ut in summas angustias adduceremur si ex sola Bäumleinii norma

usum conjunctivi praesentis consideraremus. Denique quanti esse momenti ad firmandam doctrinam vulgarem Latini usus analogia supra jam suscepi demonstrare, cum exponerem eam rationem connectendi inter se sententias primarias et secundarias quae vocatur „relative Zeitgebung“ a Graeci sermonis natura et indole prorsus abhorrere.

Ex iis quae hucusque disputavi colligendum erit, ea Bäumleinii praecepta quae usum conjunctivi praesentis respiciunt non minus abnuenda atque improbanda esse quam priora de usu conjunctivi aoristi exhibita; simul etiam apparebit, siquidem veram et cum Graecae linquae proprietate convenientem explicationem usus et aoristi et praesentis conjunctivi assequi velimus, cum temporalem relationem inter protasin et apodosin nobis respuendam tum solam actionem verbi respiciendam esse. Quae cum ita sint, de usu utriusque rationis haecce praecepta exhibuerim:

conjunctivus praesentis a Graecis adhibebatur, si actus verbi ita erat comparatus, ut secundum perpetuitatem vel gravitatem conveniret cum actione infecta.

conjunctivus aoristi in usum vocabatur, si actus praedicati momentaneus erat vel leviter pronunciandus videbatur, ita ut actioni aoristicae responderet.

Quae leges exemplis maxime perspicuis probandae atque fulciendae videntur. Atque valde gaudeo nonnullos locos mihi in promptu esse, qui, cum conjunctivum praesentis conjunctivo aoristi oppositum exhibeant, luculentissime utriusque rationis vim depingunt. Quo primum quidem locum ex altera paraenesi quae Isocratis fertur desumptum retulerim, ubi orator, cum monuisset homines dubitare utrum regia potestas jucunda esset an injucunda, hanc sententiam descripsi: *ὅταν μὲν γὰρ ἀποβλέψωσιν εἰς*

τὰς τιμὰς... ἰσοθέους ἅπαντες νομίζουσι τοὺς ἐν ταῖς μοναρχίαις ὄντας· ἐπειδὰν δ'... διεξιόντες ὁρῶσι (scil. *τοὺς κινδύνους* vel simile quid)..., *πάλιν ὁπωσοῦν ζῆν ἡγοῦνται λυσιτελεῖν μᾶλλον ἢ μετὰ τοιούτων συμφορῶν ἁπάσης τῆς Ἀσίας βασιλεύειν* (Isocr. II, 5). Quamquam pro certo constare videtur neminem vulgari doctrina servata conjunctivum aoristi *ἀποβλέψωσιν* ita interpretari posse ut loci sententia aliqua ex parte sese commendet, attamen illius rationis imbecillitatem et perversitatem omnibus ante oculos quasi ponam, id quod satis effecisse mihi videor verbis ex ejus fide germanice redditis. Vertenda enim essent illa quidem hoc fere modo: „wenn die Leute die Ehre und den Reichthum und die Macht der Königsherrschaft angesehen haben, glauben sie, es sei etwas göttliches König zu sein; wenn sie aber die Gefahren derselben genau ansehen, wollen sie lieber alles nur nicht König sein.“ Quam oppositionem cum nihil valere appareat, via a me proposita ineunda videtur, ita ut ad hanc vertendi rationem perveniamus: „wenn die Leute die Ehre und den Reichthum und die Macht der Königsherrschaft einmal flüchtig ansehen, glauben sie, es sei etwas göttliches König zu sein; wenn sie aber die Gefahren derselben genau erwägen, wollen sie lieber alles nur nicht König sein.“ Qua in vertendi ratione, de cujus probabilitate nemo dubitaverit, videmus temporali relatione inter protasin et apodosin prorsus neglecta sententias per sese tantum spectatas sibi adjunctas esse. Cui loco non absonum videbitur hunc asserere: *οὐ μὴν ἀποστατέον ἐστὶν ἀλλὰ λεκτέον, ὅ τι ἂν ὑποπέσῃ καὶ συμφέρῃ πρὸς τὸ πεῖσαί σε* (Isocr. V, 85), in quo quis non magis quam in priore ex diversorum temporum significatione cum aoristi tum praesentis conjunctivum explicuerit, cum ante omnium quasi oculos versetur, utramque actionem uno eodemque tempore ingredi,

alteram vero permanere alteram ipso hoc momento perfici. Itaque sententia loci haec esse videtur: „ich will alles vorbringen, was mir grade einfällt und was wirklich von nachhaltigem Nutzen ist“.

Quibus in locis cum conjunctivo praesentis actus descripti sint secundum rei veritatem perpetui atque conjunctivo aoristi actus secundum rei veritatem momentanei, in illis qui sequuntur propter minorem et majorem sententiæ gravitatem utramque rationem adhibitam videmus. In Platonis Gorgiae dialogi p. 466e cum Socrates affirmasset oratores in civitate nihil valere quamquam iis liceret *ποιεῖν ὅ τι ἂν αὐτοῖς δόξῃ βέλτιστον εἶναι*, Polus acumine sententiæ parum intellecto hanc ipsam magnam esse contendit potentiam. Quo facto idem vir sapiens, postquam discipulum ejus rei commonefecit quam antea ipse concessisset, scilicet *τὸ μέγα δύνασθαι ἀγαθὸν εἶναι*, conjunctivo praesentis usurpato ita pergit: *ἀγαθὸν οὖν οἴει εἶναι, ἐάν τις ποιῇ ταῦτα, ἃ ἂν δοκῇ αὐτῷ βέλτιστα εἶναι, νοῦν μὴ ἔχων, καὶ τοῦτο καλεῖς μέγα δύνασθαι*; Utriusque rationis sententia in proclivi est. Antea enim Socrates, cum speraret Polum recte intellecturum esse quid verba sibi vellent quia concessisset in quo cardo rei versaretur, sine pondere atque obiter quasi sententiam pronunciaverat; tum vero cum vis verborum discipulum prorsus fugisset, ne iterum falleretur magna cum gravitate eam repetiit. Eadem ratio non minus perspicua est in hoc loco qui exstat in ejusdem libri p. 473d. Ubi Socrates Polo haecce objecit: *ἄλλο αὖ τοῦτο εἶδος ἐλέγχου ἐστίν, ἐπειδάν τίς τι εἴπῃ, καταγελᾷν, ἐλέγχειν δὲ μή*; ist das wieder eine andere Art von Widerlegung, wenn jemand einmal etwas sagt, ihn auszulachen, aber nicht zu überführen? quo in enunciato parva vis conjunctivi aoristi ex pronominibus *τίς τι*, quæ subjecti et objecti locum obtinent, satis intellegitur. Atque opprobrio illi Polus hisce verbis occurrit: *οὐκ οἴει*

ἐξεληλέγχθαι, ὦ Σώκρατες, ὅταν τοιαῦτα λέγῃς, ἃ οὐδεὶς ἂν φήσειεν ἀνθρώπων; Quamquam valde dubitaverim num vernacula linqua Graecorum verborum elegantiam et subtilitatem reddere possimus, nihilominus qui recto judicio utriusque dictionis sententiam perpendit cum levitatem illius rationis tum magnum pondus quo conjunctivus praesentis pronunciatus est satis intellecturum esse spero.

Restat denique ut illum usum, ex quo conjunctivus aoristi sive modestiam praecipiendi sive dubitationem affirmandi sapere videtur, exemplis fulciam. Prior illa ratio ex Platonis Gorgiae loco perspicue intellegitur, ubi Socrates, cum antea expressis verbis modestiam quandam indicasset, paulo postea eandem sententiam aoristo adhibito repetiit. Postquam enim sapientissimus ille Polum ita allocutus est: καὶ ἐγὼ ἐθέλω τῶν ὡμολογημένων.... ἀναθέσθαι ὅ τι ἂν σὺ βούλῃ, ἐάν μοι ἕν μόνον φυλάττῃς, – wenn du mir nur auf eins achten willst – quaerenti ei, quid ipse cuperet, respondit haecce: τὴν μακρολογίαν, ὦ Πῶλε, ἣν καθέρξῃς – wenn du nur deiner Weitschweifigkeit einen Damm setz'st (Plat. Gorg. 461d). Quibus in enunciatis cur quae in Graeco diversa sunt Germanice similiter vertantur, non opus erit amplius exponere. Nam cum Graeci actum verbi non solum aoristo usurpato sed etiam adverbiis adhibitis coercere potuerint, nobis propter ipsius linquae inopiam posterior tantum ratio ad usum accomodata est. Eadem praecipiendi continentia illis Menandri verbis inest, quae maxime pro vulgaris doctrinae partibus pugnare videbantur: νέος ἂν πονήσῃς, γῆρας ἕξεις εὐθαλές – wenn du nur arbeitest in deiner Jugend, dann wirst du ein glückliches Alter haben (Men. monost. 388). Quam ad interpretationem fulciendam Curtii judicium haud parvi momenti erit, quod hoc est: „Der Conjunctiv in Bedingungssätzen ist dem Conjunctiv der Aufforderung verwandt. Der redende setzt oder heischt damit eine Behauptung, von der

